



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

3 V. Angelus annuntians debuerit visioni corporali apparere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Verum Angelus annuntians debuerit Beata Virgini
visione corporali apparere.



Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod Angelus annuntians non debuerit Virgini apparere visione corporali. Dignior enim est intellectualis visio, quam corporalis, ut Augustinus dicit 12. super Genes. ad litteram. Et praecipue ipsi Angelo est magis conueniens: nam visione intellectuali videtur Angelus in sua substantia, visione autem corporali videtur in assumpta figura corporea. Sed sicut ad annuntiandum conceptum diuinum decebat veni summum nuntium, ita etiam videtur, quod decebat esse summum genus visionis. Ergo videtur quod Angelus annuntians apparuerit Virgini visione intellectuali.

2. Præterea, visio imaginaria videtur etiam esse nobilior, quam visio corporalis: sicut imaginatio est altior potentia, quam sensus. Sed Angelus apparuit Ioseph in somnis secundum imaginariam visionem: ut patet Matth. 1. & 2. Ergo videtur, quod etiam apparere debuerit B. Virgini imaginaria visione, & non corporali.

3. Præterea, Corporalis visio spiritalis substantia, videntes stupefa it: unde & de ipsa Virgine cantatur. Expauit Virgo de lumine. Sed melius fuisset, quod ad tali turbatione mens eius esset præseruata. Non ergo fuit conueniens, quod huiusmodi annuntiatio fieret per visionem corporalem.

Sed contra est, quod Augustinus in quodam sermone inducit Beatam Virginem sic dicentem, Venit ad me Gabriel Archangelus, facie rutilans, veste coruscans, incessu mirabilis. Sed hac non possunt pertinere nisi ad corpoream visionem. Ergo corporea visione Angelus annuntians B. Virgini apparuit.

Respondendo dicendum, quod Angelus annuntians apparuit matri Dei corporea visione: & hoc conueniens fuit. Primo quidem, quantum ad id, quod annuntiabatur, ventrat enim Angelus annuntiare Incarnationem inuisibilis Dei, per quam visibilis fieret. Unde etiam conueniens fuit, ut ad huius rei declarationem, inuisibilis creatura formam assumeret, in qua visibiliter appareret, cum etiam omnes apparitiones veteris Testamenti ad hanc apparitionem præordinentur, qua filius Dei in carne apparuit. Secundo, fuit congruum dignitati matris Dei, quæ non solum in mente, sed in corpore ventre erat Dei filium receptura, & ideo non solum mens eius, sed etiam sensus corporei erant visione Angelica refouendi. Tercio, congruit certitudini eius, quod annuntiabatur: ea enim, quæ sunt oculis subiecta, certius apprehendimus, quam ea, quæ imaginamur. Unde Chrysostomus dicit super Mattheum, quod Angelus non in somnis, imo visibiliter Virgini assistit: nam quia magnam valde reuelationem accipiebat ab Angelo, egebat ante tantæ rei euentum visione solemniori.

Ad primum ergo dicendum, quod intellectualis visio est potior, quam visio imaginaria, vel corporalis, si sit sola: sed ipse Augustinus dicit, quod excellentior est prophetia, quæ habet simul intellectualem, & imaginariam visionem, quam illa, quæ habet alteram tantum: Beata autem Virgo non solum percepit visionem corporalem, sed etiam intellectualem illuminationem, unde talis apparitio nobilior fuit. Fuisset tamen nobilior si ipsum Angelum intellectuali visione in substantia vidisset, sed hoc non patiebatur status hominis viatoris, quod Angelum per essentiam videret.

Ad secundum dicendum, quod imaginatio est quidem altior potentia, quam sensus exterior: quia tamen principium humana cognitionis est sensus, ideo in eo consistit maxima certitudo, quia semper oportet, quod principia cognitionis sint certiora. Et ideo Ioseph, cui Angelus in somnis

A apparuit, non ita excellentem apparitionem habuit, sicut B. Virgo.

Ad tertium dicendum, quod sicut Ambrosius dicit super Lucam perturbamur, & a nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicuius superioris potestatis occursum. Et hoc contigit non solum in visione corporali, sed etiam in visione imaginaria. Unde Genes. 15. dicitur, quod cum sol occubisset, sopor irruit super Abraham, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum. Talis tamen perturbatio hominis, non tantum homini nocet, ut propter eam debeat angelica apparitio prætermitti. Primo quidem, quia ex hoc ipso, quod homo supra seipsum eleuatur (quod ad eius pertinet dignitatem) pars eius inferior debilitatur, ex quo prouenit perturbatio prædicta: sicut etiam calore naturali ad interiora reddito exteriora tremunt. Secundo, quia sicut Origenes dicit super Lucam, Angelus apparens sciens hanc esse humanam naturam, primum perturbationi medetur, unde tam Zacharie, quam Maria post turbationem dixit, Ne timeas. Et propter hoc, ut legitur in vita Antonij, non difficultis est beatorum spirituum, malorumque discretio. Si enim post timorem successerit gaudium, à Domino venisse sciamus auxilium: quia securitas anime, præsentis maiestatis indicium est. Si autem incussa formido permanferit, hostis est qui videtur. Ipsa etiam turbatio Virginis, conueniens fuit veracundia virginali, quia ut Ambrosius dicit super Lucam, trepidare virginum est, & ad omnes viros ingreßus pauere, omnes viros assatus vereri.

Quidam tamen dicunt, quod cum Beata Virgo assuetæ esset visionibus Angelorum, non turbata fuit in visione Angeli, sed in admiratione eorum, quæ ei ab Angelo dicebantur, quia de se tam magnifica non cogitabat. Unde & Euangelista non dicit, quod turbata fuerit in visione Angeli, sed in sermone eius.

COMMENTARIVS.

Quamuis D. Thomas de visione corporali in titulo loquatur: tamen reuera intendit interrogare de apparitione in specie corporis humani. Interdum enim apparet Angelus sub specie corporea non tamen humana, ut malus Angelus apparuit Euxæ in specie serpentis: tamen in præsentis mysterio pro comperto habuit D. Tho. si Angelus apparuit in specie visibili, illam humanam esse debuisset: tum quia omnis inferior forma fuisset tam Virginis conspectu quam tanto mysterio indigna: tum etiam, quia ad colloquendum modo humano, & docendum aliquem vel instruendum, omnis alia forma est improporcionata, & quodammodo monstrosa. Unde nunquam me legisse memini, bonum Angelum apparuisse vnquam ad loquendum, vel instruendum hominem in alia forma visibili, quam humana, nam licet interdum soleant imaginariæ tantum loqui absque vlla specie exterioribus sensibus obiecta, ut cum Gabriel locutus est in somnis cum Ioseph. Matth. 1. & 2. & sæpe Matth. 2. aliàs: tamen cum in externa specie apparent, & loquuntur, docentque homines, id potissimum faciunt in specie humana. Docet ergo D. Tho. Angelum in hac specie Virgini apparuisse, de qua re, quoniam longior rem tractationem requirit, dicemus in seq. disput.

ARTICVLVS IV.

Verum annuntiatio fuerit conuenienti ordine perfectæ.



Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod annuntiatio eius non fuerit conuenienti ordine perfectæ. Dignitas enim matris Dei dependet ex prole concepta. Sed causa prius aebet manifestari, quam effectus: ergo primo debuit Angelus Virgini annuntiare conceptum proli, quam eius dignitatem exponere, eam salutando.

2. Præ-

166.
3. d. 3. q. 3. a.
1. q. 2.
li. 12. c. 25.
10 & 14.
rom. 3.

In ser. 14. de
natali Do-
mini ante
med. tom. 10.

Hom. 4. in
Matth. pa-
rum ante
med. tom. 2.

lib. 12. super
Gen. c. 9. cir-
ca med. to. 3.

lib. 1. in Luc.
in tit. de An-
geli appari-
tione in fine
illius tom. 5.

Homil. 4. in
Luc. in prin-
tom. 3.

lib. 2. in Luc.
c. 1. cuius ri-
tulus est
De salut. Maria. 10. 5.